



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Quod monachi siue moniales apostatæ coram Deo votifragi & pereiuri sint,  
& ipsorum criminis sint participes, qui ipsos iuuant & defendunt. Cap.  
XVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Bonos monachos propter quosdam malos male audire non debere.

periantur, quid colligi hinc aliud poterit, quam eiusmodi Deo gratum esse viuendi modum, quem prius instinctu suo per sanctos quosdam tanquam familiares amicos suos seuit & instituit, & per miracula dilatauit consolidauitq;? Quod si qui mali inter eos inueniantur (sicut in omnibus institutis & congregationibus ab orbe condito fuerunt, hodieq; existunt) boni propterea improbari non debent, sed primates & magistratus id genus homine, siue monasteria ad bonam religionis semel susceptæ obseruationem compellere & coercere deberent. quæadmodum olim fiebat, quando ardor diuinæ charitatis etiam in secularibus magnatibus (qui tum diuinum honorem & non religiosorum opes quærebant) feruebat. Qui nimirum multa industria hoccurabant, vt Ordines isti in sua religione iuxta primam institutionem, quæ Dei instinctu per sanctos homines inchoata fundataq; erat, conseruaretur, ad quam suapte se sponte religiosi tales obstringunt, & spondent custodiendam, à qua post votum non seruanda immunes esse nequeunt, quamq; deferere non debent, nisi periuri & votifragi coram Deo esse velint.

*Quod monachi siue moniales apostata coram Deo votifragi & periuri sint, & ipsorum criminis sint participes, qui ipsos iuuant & defendunt.*

Caput XVIII.

Religiosi apostata & qui eis fauere quo loco habendi sunt

Coniugia ecclesiasticorum scortationes potius esse & incestum.

Galat. 6.

**H**omines, inquam, monastici, videlicet monachi & moniales apostata, qui suum Ordinem relinquunt, & cucullos abijciunt, & vota sua Deo sponsa infringunt, votifragi & periuri coram Deo, & quasi sacrilegi existunt, quod Deo semel immolata adimant. Eiusdem sunt consortes criminis, qui huiusmodi apostatis & fugitiuis monasticæ professionis hominibus consilium, auxilium, fauorem subsidiumve ob scedi fragium suum erga Deum, præstant: veluti, proh dolor, iam fit ab ijs, quorum tales transfugas & apostatas monachos siue moniales punire interest, qui ad ignominiam & dedecus sacri matrimonij (quod verbis & sub falsa specie ineunt, at reuera tamen contra prohibitionem S. Ecclesiæ, contraque proprium suum votum contrahere nequeunt) scortationem suam & incestum obtegere, libenterq; sub specie quadam & nomine matrimonij cohonestare volunt. Et ab hoc nemo sese excusare potest. Licet enim eius in scripturis non tam frequenter commoneamur, quilibet tamen sicut ex naturæ luce intelligit & vult fidem sibi & promissa, aut quæcunque sibi sponsa sunt, ab alijs præstari, ira contra alijs pollicita promissa siue sponsa præstare tenetur. Si ergo hæc hominibus debet, quanto magis Deo, qui, vt Paulus ait, non irridetur?

*Quod hæreticis non sit credendum qui peritæ scripturas contra explanationem Ecclesiæ interpretantur, & quod continentia non sit impossibilia seruati.*

Caput XIX.

Hæretici vt scripturæ verba contorqueant.

**E**O, proh dolor, hodie ventum est, vt eiusmodi, qui in meris verbis Euangelium iactant, velut qui de Lutheri secta descendunt, Euangelium omnesque alias scripturas ab ipso sensu, quo dictæ sunt, in intellectum alium pro suo arbitratu confictum, detorqueant ad defendendum sua vitia carnis & lasciuiam, tanquam ita Christus docuerit sicut ipsi verbum eius explicant,